

summam debilitatem, tum vinosa, imo & saepe spiritibus dictiora, prioribus (640.) miscenda, propinanda tuto erunt.

NAUSEA FEBRILIS.

642. **N**ausea irritum conatum vomendi significat, cum idēa horro-
ris; causam ergo habet proximam fibra-
rum muscularium faucium, oesophagi,
ventriculi, intestinorum, muscularum ab-
dominalium leviorē convulsionem; haec
fit 1°. ab acri, putri, bilioso, in vacuum
stomachum pulso, in fauces adscendente,
utraque vēlicante, & irritante, unde re-
liqua eosdem sequuntur motus; cognoscitur
ex inedia, halitu putri, ore, lingua,
faucibus sordidis; vel 2°. oritur a lenta,
viscida, fluctuante materie, quae in iisdem
locis natando vellicat; cognoscitur ex sig-
nis glutinosi praegressi (69. ad 75.) aut
3°. a ventriculo, oesophago, intestinis,
& visceribus vicinis leviter inflammatis,
quod scitur ex signis horum propriis; 4°.
tandem etiam a memoria rei, quae olim
assumpta similes nauseas creaverat; 5°. de-
nique & ab inordinato liquidi nervosi mo-
tu, undecunque excitato; cognoscitur de-
lirio, spasmo, vertigine, tremore.

643. Si diu manet, producit inediām, ab-
sti-

stinentiam a potu, & a medicamentis, dein vomitus, & quae hinc produci possunt mala quam plurima, quorum praecipua debilitas, acrimonia alcalina putrida, siccitas.

644. Sistitur ex prima causa orta (642. N^o. 1.) usu acidi, falsi, aquosi potus, cib*i*, medicamenti; tum simili leni purgante exhibito; & acido aust^{er}is roborantibus fibras; aut, si his non cesserit, vomitorio dato. Quae vero ex secunda causa (642. N^o. 2.) fit, illa tollitur, diluendo, attenuando, purgando, vomitum excitando. At, si ex tertia ortum duxerit (642. N^o. 3.), tum non cedit, nisi illis morbis curatis, juxta descriptionem postea in his secuturam. Quarta species oblivione; & vitatione similium aboletur. Quinta autem per austera, quietem, narcotica, aquam frigidam.

645. Hinc intelligitur, cur in acutis, ubi nausea, purgatio initio data, ut & emeticum, adeo prospicit, & in quo acutorum genere? Cur aegri acutis cum febribus conflictati adeo horreant pinguia, carnosa, ova, pisces, & contra appetant aquam, acida, fructus horaeos, frigida? Cur, nisi nausea superetur, nihil aegro prospicit medicamina? Cur saepe hoc symptoma incurabile sit? Cur tales morbi tandem fere cum subito, insolito, mirabili appetitu, secedant?

RU-